FF. Minor. Reformator. Conv. Crac. Conclusiones theologicae de baptismo et poenitentia.

1684

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ
DE
BAPTISMO
ET
PÆNITENTIA,

Iuxta mentem Subtilissimi Doctoris

IOANNIS DVNS SCOTI.

A

FF. Minorib: Reformatis, in Conuentu Cracouiensi ad S. CASIMIRVM,

Ad defendendum expositæ. kkk

Anno Dñi 1684. Die 12 Mensis Iulii Horis consuetis.

De Baptiſmo.

I.

SIgnum aliquod ſenſibile, omni tempore eſt à Deo inſtitutum, pro remedio contra peccatum originale, cui vt in noua lege competit vera Sacramenti ratio, ita in veteri competebat. Quod in lege noua, Baptiſmi nomen accepit: qui ſanctificat animam per communicationem gratiæ: Poſt cuius inſtitutionem, non fuit euacuata Circumciſio ita, ut recipientibus ipſam, non poſſet prodeſſe ad iuſtificationem; cum Baptiſmus non ſtatim vt inſtitutus eſt, cæpit obligare ad ſe recipiendum, & etiam prius promulgatus fuit ſub conſilio, quàm ſub præcepto.

II.

AD ſubſtantiam Sacramenti nouæ legis, ex inſtitutione Chriſti requiritur Materia & forma, quæ nulla ratione mutari poſſunt, quoad ſubſtantiam, ideo & Baptiſmus hæc duo, neceſſariò includit ſic; vt præter formam Aqua naturalis, quæ eſt materia remota huius ſacramenti, ita ad ipſum requiratur, vt ſine illa non poſſit eſſe, Cuius ſola infuſio vel aſperſio eſt ſufficiens ad valorem Baptiſmi, non autem proiectio in puteum aut flumen, exqua mors ſequeretur baptiſati.

III.

NOn inualidat intentio priuata Miniſtri, formam (ſicut aliorum Sacramentorum, ita & baptiſmi, quæ ſecundùm omnes talis datur. Ego te baptiſo in Nomine Patris, & Filij & Spiritus S) modo habeat intentionem faciendi per formam, quod facit Eccleſia mediante ipſa, & non ſignificet illam intentionem ſuam particularem: inualida autem eſſet forma Baptiſmi ſaltem modo, ſi quis vellet baptiſare aliquem, in Nomine Trinitatis, vel in Nomine Genitoris, Geniti, & Spirati. Nec non in Nomine Chriſti.

IV.

CHristus Dominus quâ DEVS, tanquam Causa principalis, & quâ homo, tanquam Causa immediatè determinans, septem illa signa sensibilia, quæ defacto sunt septem Sacramenta; & tanquam merens, vt DEVS illis mediantibus concurrat, ad conferendam gratiam efficaciter & infallibiliter instituit, immediatè Sacramenta nouæ Legis, & Baptismum ante mortem suam pro remedio contra peccatum originale ordinauit, non tamen tunc, quando baptisatus fuit à S. Ioanne, nec quando dixit Nicodæmo. Nisi quis renatus &c.

V.

TAlis naturæ est Baptismus à Christo institutus, vt à Baptismo Ioannis distinguatur specie; nam S. Ioannis, non erat verum Sacramentum, causatiuum gratiæ sanctificantis ex opere operato, quod competit Baptismo Christi, ad quem validè conficiendum requiritur & sufficit, saltim intentio faciendi, quod Ecclesia facit eo mediante, quia etiam talis ad alia sufficit. Et licet Baptismus flaminis & sanguinis, communicet gratiam sanctificantem, nihilominus est diuersæ naturæ à Baptismo fluminis.

VI.

ORdinarius Baptismi Minister est Summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in tota sua Diœcesi, & Parochus in sua Parochia. Quilibet verò homo viator compos rationis, & potens actiuè baptisare per applicationem aquæ, est Minister sufficiens Baptismi. Vnus autem abluens, & alter verba proferens non sunt sufficientes & inualidè baptisarent. Sed plures vnum cum debita forma, & vnus plures validè baptisarent in maxima necessitate. Seipsum verò nemo potest validè baptisare.

VII.

POtuit pura creatura, & à fortiori Christus qua homo mereri à DEO vt vellet concurrere cum signis sensibilibus ab homine institutis, ad conferendã gratiam, consequenter per modum Causæ meritoriæ concurrere ad institutionem Sacramentorum, & etiam Baptismi; quo possunt & debent quicunq; paruuli baptisari; & hominis monstrum in quo colligeretur anima; ac etiam filii infidelium inuitis parentibus, quando sunt subiecti Principibus Christianis ciuiliter & seruiliter, & non sequeretur exinde magnum aliquod damnum.

VIII.

VIII.

ADultus suscipiens Baptismum, necessario debet habere consensum & dispositionem sufficientem ad validè recipiendum ipsum; & iuxta magis vel minus perfectam dispositionem, qua se præparat, maiorem vel minorem recipit gratiam, non obstante tamen æqualitate dispositionis, fieri potest quòd Sacramentum conferat vni maiorem gratiam quàm alteri. Et adultus iustificatus mediante voto Baptismi, siue sine tali voto, tenetur ad suscipiendum Baptismum post sufficientem promulgationem Euangelii.

IX.

TAmetsi ad validè administrandum Baptismum, non requiratur quòd Minister sit in statu gratiæ aut fidelis, nihilominus peccaret mortaliter, si ministraret solemniter tanquam deputatus & consecratus, nisi vel habeat contritionem, vel confiteatur, excepto casu extremæ necessitatis, ad ministrandum Sacramentum tam citò, vt non possit moraliter habere tempus, ad ponendum se in tali statu, non peccaret autem baptisando in statu peccati mortalis, si baptisaret in necessitate sine solemnitate.

X.

REalis forma vera & absoluta est Character Baptismi, & est qualitas spectans ad speciem Qualitatis: non significat autem ex natura sua esse famulum Christi; neq; habet ex natura sua physica, vllam rationem potentiæ respectu illorum effectuum qui communicantur illi, qui eo insignitur; sed tantùm habet hoc ex institutione Diuina; neq; etiam est dispositio physica ad gratiam recipiendam. Et non solùm Sacramentum Baptismi imprimit ipsum, sed etiam Confirmationis & Ordinis.

XI.

IN Schola Scotistica, cum certum sit Sacramenta nouæ legis non causare gratiam physicè quam conferunt, sed solum moraliter, ideo & de ipso Baptismo idem concludimus qui cum fictione susceptus, id est cum impedimento gratiæ recipiendæ per ipsum, non tamen inualidante Sacramentum, recedente fictione conferre solet gratiam ex opere operato, non vero ex opere operantis.

De Pæ-

De Pænitentia.

I.

FIdes docet Pænitentiam actualem vt est virtus, nihil aliud esse, quàm detestationem seu odium peccati commissi, tam efficax, vt habeat virtutem determinandi hominem, ad illud postea non committendum, & ad faciendum omnia quæcunq; sunt necessaria, vt reconcilietur DEO: non est tamen hæc Pænitentia vna determinata Species infima virtutis vt sic, nec etiā est quid aggregatum ex omnibus virtutibus, nec habet vnum aliquod determinatum motiuum.

II.

REquiritur ad Contritionem perfectam, dolor de peccato super omnia mala quæ non sunt peccata mortalia, & debet esse de omnibus peccatis mortalibus, non tamen explicitè de quolibet in particulari, & non requiritur aliqua intensio ad ipsam, præter illam quòd sit supra omnia, præmisso modo; nec etiam requiritur aliqua duratio. Et semper habet pro eodem instanti quo est, annexam iustificationem, sine actuali receptione Sacramenti, & hoc competere non potest Attritioni, quæ solùm iustificat in Sacramento.

III.

ADulto compoti rationis necessaria est simpliciter Pænitentia in re vel in voto, vt iustificetur, in, vel extra Sacramentum. Et propterea potest semper agere pænitentiam de quocunq; peccato quantumcunq; graui in hac vita commissio, & de quacunq; multitudine peccatorum: quæ semel dimissa per Pænitentiam absolutè non redeunt quoad culpam & pænam, licet merita per peccata sequentia mortificata, totaliter reuiuiscant, ratione factæ Pænitentiæ.

IV.

IV.

NOn includit intrinſece Sacramentum Pænitentiæ, tanquam partem etiam materialem vllum actum pænitentis; nec dicit vllum ex illis in recto, ſed ſolam Abſolutionem Sacerdotis: Quod Sacramentum ſecundum ſe conſideratum, bene deſcribitur eſſe: Verba efficaciter ſignificantia abſolutionem hominis baptiſati, prolata à Sacerdote iuriſdictionem habente cum debita intentione; huius Sacramenti abſolutio ſi daretur abſenti, qui per Nuntium vel per ſcripturam confiteretur, non eſſet valida.

V.

COntritio ad validitatem Sacramenti Pænitentiæ requiſita, non debet neceſſariò præcedere Confeſſionem, ſed ſufficit quòd præcedat abſolutionem, nec etiam eſt ſemper neceſſarium, vt eliciatur ex intentione Confitendi. Et idem dolor ſufficiens pro vna valida abſolutione à peccatis, poteſt ſufficere, mediante alia confeſſione facta de iiſdem peccatis vel diverſis, ante inculpabiliter oblitis, pro altera abſolutione, modò non ſit retractatus, nam ille dolor extenditur virtualiter ad peccata oblita.

VI.

IPſe Chriſtus Dominus inſtituit Confeſſionem Sacramentalem, tanquam medium neceſſarium ad remiſſionem peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum, eamq; præcepit. Datur etiam præceptum Eccleſiaſticum de ea, ſemel in anno facienda ab omnibus conſcientiam peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi habentibus: ex quibus præceptis nemo obligatur ad Confeſſionem per interpretem, licet poſſit ſic confiteri, & ſicut non Sacramentalis poteſt fieri ob aliquos fines publica, ita & Sacramentalis.

VII.

CAſu, quo tenetur quis confiteri, & non poteſt integram facere Confeſſionem quoad Species vel numerum peccatorum, vel abſolutè, vel ſine graui detrimento Spirituali vel temporali, proprio aut proximi extra Confeſſionem inferendo, excuſatur ab integritate Confeſſionis, & ſolùm debet dicere ea quæ poteſt ſine tali detrimento, imò ſi plus dicere non poteſt ſine tali detrimento, ſufficit ſi dicat ſe commiſiſſe aliqua peccata, vel ſi ſignificet dolorem, coram Sacerdote cognito, aliquo ſigno externo.

VIII.

VIII.

DEbet Sacerdos habere Scientiam tantam, vt sciat quæ communiter peccata mortalia, & quæ venialia reputentur; quæ habent Censuram, aut reseruationem annexam, sine diuersitate opinionum; & quæ requirunt restitutionem, & etiam vt cognoscat dispositiones necessarias ex parte pænitentis ad validam absolutionem, & quæ spectant ad integritatem Confessionis, & vt sciat obligationes statûs illarum personarum quarum Confessiones audit, & peccata, quæ solent in statu illo committere.

IX.

DIgnitas Sacramenti obligat Confessarium vt ponat se in statu gratiæ saltem ante absolutionem, licet non inualidetur absolutio, si non ponat se in tali statu. Et præterea obligatur interrogare pænitentem, quando putat ipsum sine interrogatione omissurum aliqua peccata, vel Circumstantias eo[illegible]um, necessario in Confessione aperiendas, idq; de peccatis in quæ solent in[illegible]ere homines illius statûs, cuius est pænitens, & quæ solent scire esse pe[illegible]ta. Etiam modo non debet se conformare opinioni minus probabili.

X.

COnfessarius in Diœcesi, vbi non est reseruatum, aliquod peccat[illegible] potest peregrinum alienæ Diæcesis, in qua illud peccatum est reseruatum, [illegible]ona fide ad se accedentem absoluere etiamsi non habeat licentiam [illegible]di à reseruatis, imò probabile est, quod talis Confessarius possit absoluere e[illegible]dem etiam à reseruatis in Diæcesi Confessarii, siue Peregrinus commiser[illegible]tum, antequam venerit ad Diæcesim Confessarii siue post: potest etiam [illegible]tens in casu necessitatis confiteri sola reseruata, & postea non reseruata.

XI.

TEnetur Confessarius imponere pænitentiam pænitenti præseruatiuam, iuxta conditionem personæ & qualitatem culpæ; & etiam vindicatiuam, si pænitens voluerit eam acceptare. Et potest quodcunq; opus bonum, siue internum solùm, siue internum habens annexum externum iniungere pro pænitentia: potest etiam quandoq; imponere opus bonum alias præceptum, & opus ex se satisfactorium, ab alio quam à pænitente faciendum. Et pænitens potest absoluere pænitentiam in statu peccati mortalis absq; vllo peccato, non potest verò suffragari vnus alteri nisi vltra alia, tam ille qui suffragatur, quàm ille cui vult suffragari, sint in statu gratiæ.

A. M. D. G.